



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

LXXII. Simile præcedenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

alligarat, explicitum vinculis, sepeliendum humi sternit. Dux mortuum intuens, ab S. Ignatio etiamtum rogando non absistit, cumque ad cadaver proximè accessisset, repente infans reuiuiscit, incredibili matris, & ducis gaudio qui festis propterea gratis S. Ignatium celebrauit.

LXXII.
Simile praecedenti.

Sed dignum maioribus fuit, quod sæculi huius anno vndecimo Manresa sanctus vitam infanti vtramque contulit temporariam, & æternam. Natus fuerat post mortem, & seorsum interim abiectus, dum matri consultur, ex eo partu pene morienti: à matre obstetrix ad infantem reuersa, liuentem, & mortuum, & Baptismi carentem piaculo, miserata; positus genitus S. Ignatium obsecrat, per quicquid illi esset Manresa carum, vbi tot à Deo fuerat bonis cumulatus, animam redderet infelici, ad hoc saltem, vt Christi lauacro tingeretur. Quæ dum orat, videt infantem moueri, & oculos aperire, exclamansque cum iis quæ illic aderant factum miraculum, viuentem, gratulabunda ad matrem retulit.

LXXIII.

Burgi anno lapsi sæculi nonagesimo altero, Maria Alaua Pinzocheria ex S. Francisci Ordine, tentationibus indomitis, & angustiis animi nullum pridem flendo, precando, leuamen inuenerat. Franciscæ Bernuicæ extra illam urbem moniali, cum id indicasset, S. Ignatij ab ea imaginem accepit, de illius adiutorio vnicè secuta cuius tot sibi prodigia narrauerat Franciscæ, imaginis etiam illius ministerio impetrata. Oblita vero Ignatij nomen quod esset illi vix antea auditum; sic illum precabatur, ò Pater Athanasi quando tam prodigè tuis supplicibus tua beneficia dispensas, me quoque miseram adspice, hoc egentiolem tua ope, quod mihi non mors, aut morbus agitur, sed grauius vtroque peccandi periculum, precantem audi Pater Athanasi, hæc orantem, vox clara distinctè admonet, Ignatium dici quem Athanasium vocabat, æquo tamen animo esset, exoratum enim quod ipsa petierat. Cuius iam tum pignus, serenum animi quoddam hausit, singularémque voluptatem: quod illa demirans, vt quid igitur, ait, vit apud Deum gratia tam potens, nondum vindicatus est inter sanctos? Respondit vox eadem, etsi non est in terris, sed in cælo, iam est sanctorum numero adscriptus. Nec plura & mulier, omnes quas tolerauerat animi angustias oblita, summa quiete potita est.

LXXIV.
Infans à fenestra lapsus in sinu gerulae reponitur.

Anno autem xvi huius vicesimo pridie S. Ignatij Paula Sbarballia, Ioannis Oltramarij cognati septimestrem filiolum inter brachia gestabat. Orto imbris, & turbinum subito conflictu accurrit in superiora conclauia, vt occluderet aquæ specularia vitrea: in eorum vno difficiliter laborans sursum versus cum dextro brachio corpus extra fenestram exporrigit, infans pectore tenus præcinctus laxius, subsultans in vicum decidit altitudine vlnarum. 8. mulier puero cadente Iesum, & S. Ignatium inclamat, in quem impensius afficiebatur, labiturque, & ipsa in proximam arcam. Vbi, cum breui animum recepisset; Vidi, (ait ipsamet.) his meis oculis S. Ignatium ad latus, qui mihi infantem quem tenebat, in vlnis reposuit, appressitque tam diu sustinens, dum quæ animo linquente exciderant vires rediissent. Erat vit sanctus